ARCHIMEDES

in the Middle Ages

VOLUME THREE

THE FATE OF THE MEDIEVAL ARCHIMEDES
1300 to 1565

PART III: The Medieval Archimedes in the Renaissance, 1450–1565

MARSHALL CLAGETT

THE AMERICAN PHILOSOPHICAL SOCIETY
Independence Square
Philadelphia
1978

A
The *Praeparatio ad Archimedis opera* of Francesco Maurolico

/Francisci Maurolyci Messanensis Praeparatio ad Archimedis opera

Proemium

Archimedes Syracusanus acutissimus geometra, machinator praestantissimus, ac syderum speculator clarissimus extitit. Qui cum M. Marcellus Syracusas obsideret, machinis ingeniose inventis diu patriam tutatus est. Nam saxorum iactu, ferrea manu comprehensis navigiorum hostilium malis, telorum iaculatu per murorum rimas ad id factas, hostem admiratione pariter ac terrore concusserat, ut Livius ait. Is idem portentosae magnitudinis navim ab Hierone Rege constructam, solus, machinis sua una manu correptis, deduxit, ut Moschion multis refert. Sphaeram, in qua motus omnes astrorum repraesentarentur, fabricavit; de qua extat Claudiani Epigramma. Coronam auream a dicto Rege Diis dicatam, ab artifice vitiatam, novo miroque ingenio coarguit, ut Vitruvius refert. Sed non omnia eius inventa litteris mandata sunt, tam scilicet mechanica quam geometrica. Demum post triennium, captis Syracusis Philosophus illustrissimus ab imprudente milite, geometricis lineamentis in pulvere descriptis, intentus, dum interrogatus quis esset nomen suum edere differt, illumque ne lineas disturbaret, oraret, peremptus sanguine proprio deductas formas faedavit. Sic vir praeclarus, quem apprime incolumem Romanus ductor cupiebat, quemque servari praeceperat, ingenio et arte et salutem et interitum sibi comparavit. Non defuit tamen ductoris munificentia erga perempti cognatos, quippe quos et honore decoravit et praesidio iuvit, ut Livius, Valerius, et aliique historici prodidere. Sed intentum nostrum est commemorare huius egregii philosophi monumenta quibus praecipue nomen suum immortalitati mandavit, et quorum parcius mentio fit in historiis.

Eius itaque operum in ordine primum est τοῦ κύκλου μέτρησις, hoc est, circuli dimensio, in quo demonstrat circulum esse aequalem triangulo orthogonio cuius eorum quae circa rectum angulum laterum unum aequale est circuli semidiametro, alterum peripheriae. Secundo loco ponendum est opus περὶ σφαίραι καὶ κυλίνδρου, hoc est, de sphaera et cylindro, ad Dositheum, in quo demonstrat sphaerae superficiem quadruplam esse suo maximo circulo, et cylindrum eiusdem crassitudinis axisque cum sphaera esse ad eam sesquialterum, et alia circa sphaerica segmenta. Ex quo tantum gloriae sibi comparasse visus est Archimedes, ut qui rem in geometria praecipuam primus omnium demonstraverit ut eius sepulchro sphaeram et cylindrum insculpi mandatum sit. Cicero id sepulchrum, dum Siciliam peragraret, a se inter dumeta inventum memorat. Tertium in ordine ponimus opus περὶ ἰσορροπικῶν, / [2] hoc est, de aequiponderantibus, in quo praeceptum tradit inveniendi centra gravitatis in rectilineis planisque figuris. In quo quidem mirum est, ab eo centra solidorum fuisse praetermissa. Quartum erit τετραγονισμὸς (!) παραβολῆς, hoc est, Quadratura parabolae, ubi demonstrat parabolen esse sesquitertiam ad triangulum rectilineum eiusdem basis ac celsitudinis; utiturque in demonstratione tum doctrina aequiponderantium tum geometrico syllogismo. Quem libellum scribit ad Dositheum, faciens mentionem de morte Cononis, ad quem antea scribere consueverat, quorum uterque in geometria versatus, et Archimedis familiaris extiterat. Quinto his loco succedit opus περὶ ἑλίκων γραμμῶν, hoc est, de spiralibus lineis, ubi rectas quasdam spiram tangentes peripheriis circularibus aequales esse demonstrat; item primam spiram esse tertiam partem sui circuli, secundam spiram ad suum circulum esse sicut septem ad duodecim, itaque deinceps. Nam cum circuli sint in proportione quadratorum numerorum, ipsae spirae consistunt in proportione hexagonalium aequiangulorum. Hunc quoque libellum misit ad Dositheum, faciens item Cononis mentionem, qui morte praereptus ea inexplicata reliquerat. Sextum in ordine facio libellum περὶ κωνοειδέων καὶ σφαιροειδέων, hoc est, de conoidibus et sphaeroidibus figuris, quem et ad Dositheum praedictum misit; in quo multa de proportione circulorum et ellipsium inter se demonstrat. Item, solidum parabolicum esse sesquialterum ad suum conum. Et alia de proportione tam hyperbolici quam sphaeroidis solidi ad conum suum; acutissima quidem et tanto ingenio digna inventa. Septimum erit opus de numero arenae, in quo plus admirationis titulus affert quam liber ipse speculationis, ad Gelonem Regem inscriptus. Multa in eo de magnitudine terrae ac luminarium, quae quoniam ea tempestate nondum satis perspecta fuerant, culpa tempori, non Philosopho imputanda. Addendum postea opus περὶ ἰσοπεριμέτρων, hoc est, de figuris aequalis ambitus, quod ab aliquibus Archimedi, ab aliis vero et verius Theoni Alexandrino attribuitur. In quo ostensum est, inter planas figuras isoperimetras circulum, inter solidas vero sphaeram esse capacissimam. Et tandem nonum, et minime praetermittendum, περὶ κατοπτρῶν καυστικῶν, hoc est, de speculis comburentibus, quod aliqui Archimedi, alii verius Ptolomaeo adscribunt; in quo docet, speculo ad comburendum efficaci dandam esse formam concavam a parabola descriptam, quippe in quam solares radii ad aequidistantiam incidentes ad idem punctum reflectuntur; in quo collectus ex plurima luce calor potentissimus sit ad comburendum fomitem ibi appositum. Eutotius Ascalonita commentarios scripsit in opera de circuli dimensione, de sphaera et cylindro, de aequiponderantibus, ubi multa plus obscuritatis quam aut iucunditatis aut utilitatis habentia, et nihil ad intelligentiam authoris spectantia, intermiscuit.

Haec ego omnia cum vidissem, conatus sum ad faciliorem intellectum multa lemmata adiicere, multa ab Archimede omissa demonstrare, tum in aequalium momentorum negotio centra solidorum tractare, rem ab illo praetermissam. In libello de sphaera et cylindro usus sum faciliori via; in quo, ne quis arbitretur me inconcessibilia principia postulasse, si cuilibet superficiei aliquam sphaericam aut conicam aut sphaericae portionis superficiem aequalem esse supponam, aut conicam sive cylindricam sub data celsitudine, demonstrabimus et hic ipsa principia. Item datis duabus superficiebus, superficiem esse uni datarum similem et alteri aequalem. Datisque duobus solidis, aliquod solidum esse uni datorum simile et alteri aequale. Ad quod cum necessaria sit duarum mediarum proportionalium inventio, id ipsum problema ex veterum philosophorum traditione tractabimus, ut Eutotius memoratus in commentariis scripsit. Praemittemus autem principia quae ut facile concessibila postulavimus.

3 /Postulata.

1. Quibuslibet duabus eiusdem generis magnitudinibus esse duas lineas proportionales.

2. Perimetrum figurae planae circumscribentis aut includentis planam figuram perimetro circumscriptae aut inclusae esse maiorem, si tamen ad easdem partes cavae fuerint.

3. Figuram circumscribentem aut includentem circumscripta aut inclusa esse maiorem.

4. Superficiem figurae solidae circumscribentis aut includentis solidam quampiam figuram superficie inscriptae aut inclusae ad easdem partes cavae esse maiorem.

5. Figuram solidam circumscribentem aut includentem figura circumscripta aut inclusa esse maiorem.

6. Si duae magnitudines semper alia magnitudine sint simul maiores aut simul minores erunt inter se aequales.

Propositio I.

SUPERFICIEM CYLINDRICAM SUPERFICIE COLUMNARI CIRCUMSCRIPTA VEL INCLUSA ESSE MAIOREM.

Capiatur enim unum laterum columnae circumscriptae erectum super lineam rectam *AC* [Fig. III.5A.1], et portio superficiei cylindricae erecta super arcum *ABC*.

Et sic demonstrandum erit quod superficies cylindrica *ABC* maior est superficie plana *AC*; hoc enim ostenso, sequitur totam superficiem cylindricam tota superficie columnari inscripta maiorem esse.

Itaque sit, si possibile est, superficies cylindrica *ABC* minor superficie plana *AC*, ita ut cum superficie *Z* sit superficiei *AC* aequalis. Et diviso arcu *ABC* iterum atque iterum donec relictae portiones sint minus quam *Z*, erit iam cylindrica superficies *ABC* cum reliquis portionibus sumpta minor superficie plana *AC*, et a fortiori minor superficiebus planis erectis super lineis rectis *AD*, *DB*, *BE*, *EC*, quod est contra quartum postulatum. Non igitur minor est superficies cylindrica *ABC* superficie plana *AC*. Similiter nec aequalis esse eidem demonstrabitur. Superest ergo ut maior sit, quemadmodum proponitur.

Propositio II.

SUPERFICIEM CONICAM SUPERFICIE PYRAMIDALI INSCRIPTA VEL INCLUSA ESSE MAIOREM.

Idem processus eademque descriptio huic propositioni inserviet quae praecedenti. Unde si superficies tam cylindrica columnarem inscriptam, quam conica pyramidalem inscriptam excedit, multo magis et inclusam quam non tangit excedet, quandoquidem inscripta maior est quam inclusa. Constat ergo propositum.

4 /Propositio III.

SUPERFICIEM COLUMNAREM MAIOREM ESSE SUPERFICIE CYLINDRICA INSCRIPTA VEL INCLUSA.

Capiantur duo latera columnae erecta super rectas *AF*, *FC* [Fig. III.5A.2], et portio cylindricae superficiei super arcum *ABC*, quae superficies utraeque terminantur ad latera cylindri erecta super puncta *A*, *C*, quae latera sunt contactus superficierum planarum super *AF*, *FC* positarum cum superficie cylindrica posita super arcum *ABC*.

Itaque demonstrandum est quod plana superficies *AFC* maior est cylindrica superficie *ABC*; hoc enim ostenso, sequitur totam columnarem planam superficiem maiorem esse tota cylindrica superficie.

Itaque sit, si possibile est, plana superficies *AFC* minor cylindrica superficie *ABC*. Sectoque iterum arcu *ABC* atque iterum ducantur tangentes circulum donec relictae portiones inter tangentes et peripheriam sint minus spatio *Z* quo superficies cylindrica *ABC* excedere supponitur planam *AFC*, eritque a fortiori eadem superficies cylindrica *ABC* maior quam superficies plana posita super *AK*, *KL*, *LM*, *MN*, *NC* una cum portionibus relictis, quod est contra quartum postulatum. Non igitur minor est superficies plana *AFC* superficie cylindrica *ABC*. Similiter nec aequalis esse demonstrabitur. Maior igitur erit, quod est propositum.

Propositio IV.

SUPERFICIEM PYRAMIDALEM MAIOREM ESSE SUPERFICIE CONICA INSCRIPTA VEL INCLUSA.

Non alio processu quam praecedens demonstrabitur. Unde si superficies, tam columnaris cylindricam inscriptam, quam piramidalis conicam inscriptam excedit, multo fortius et inclusam excedet, quandoquidem inscripta sibi inclusam excedit.

Illud autem notandum quod in cylindrica superficie relictae portiones supradictae tam in praemissa quam in prima huius capiendae sunt in utraque basi quo superficies circumscribens eosdem terminos habeat cum inscripta, sicut quartum postulatum supponit. Constat ergo propositum.

Propositio V.

ESSE ALIQUAM LINEAM AD QUAM DATA LINEA DATAM HABET RATIONEM.

Sit data ratio magnitudinis *A* ad magnitudinem *B*, data linea *C* [Fig. III.5A.3], erunt utique per primum postulatum lineae ipsis magnitudinibus
5 *A*, *B* / proportionales quae sint *D*, *E*, ut scilicet *A* ad *B* sit sicut linea *D* ad lineam *E*. Sit per decimam sexti Euclidis sicut *D* ad *E*, sic *C* ad *F*. Eritque *C* ad *F*, sicut *A* ad *B*, quod est propositum.

Propositio VI.

QUIBUSLIBET DUABUS LINEIS ALIQUAM MEDIAM INTERESSE PROPORTIONALEM.

Ut si sint datae lineae rectae *AB*, *BC* [Fig. III.5A.4] in rectum coniunctae. Descripto super totam *AC* semicirculo, excitataque perpendiculari *AD* (*! BD*) usque ad peripheriam, erit per nonam sexti Euclidis *BD* inter ipsas *AB*, *BC* media proportionalis. Constat ergo propositum.

Propositio VII.

ESSE ALIQUOD QUADRATUM AD QUOD DATUM QUADRATUM DATAM HABEAT RATIONEM.

Sit data ratio quae magnitudinis *A* ad magnitudinem *B* [Fig. III.5A.5]; datum quadratum lineae *C*. Erit iam per quintam praemissam sicut *A* ad *B*, sic linea *C* ad aliquam lineam, quae sit *D*; intersit itaque ipsis *C*, *D* per praecedentem media proportionalis *E*; eritque sicut *C* ad *D*, hoc est, sicut *A* ad *B*, sic quadratum *C* ad quadratum *E*, quandoquidem dupla est ratio *C* ad *D* eius quae *C* ad *E*. Constat ergo propositum.

Propositio VIII.

CIRCULORUM PERIPHERIAE SUNT DIAMETRIS PROPORTIONALES.

Sint circuli *AIB* et *CKD* [Fig. III.5A.6], quorum diametri *AB*, *CD*. Sitque sicut peripheria *AIB* ad periferiam (*!*) *CKD* sic diameter *AB* ad lineam *EF*, per quintam huius.

Et demonstrandum erit quod linea *EF* aequalis erit lineae *CD*.

Nam si linea *EF* maior est quam linea *CD*, intelligatur circulus *ELF* concentricus circulo *CKD*, et inscribatur circulo *ELF* figura multiangula
6 *ENF* minime tangens circulum *CKD*, per / decimamtertiam duodecimi Elementorum Euclidis. Et ei similis figura *AMB* inscribatur circulo *AIB*. Eritque sicut linea *AB* ad lineam *EF*, sic perimeter figurae *AMB* ad perimetrum figurae *ENF*, et ideo sicut peripheria *AIB* ad peripheriam *CKD*; et permutatim sicut perimeter *AMB* ad peripheriam *AIB*, sic perimeter *ENF* ad peripheriam *CKD*. Sed per secundum postulatum maior peripheria *AIB* perimetro *AMB*, igitur et maior peripheria *CKD*

perimetro *ENF*, inclusa videlicet maior includente, quod est contra dictum postulatum. Non est ergo maior linea *EF* quam linea *CD*.

Si autem minor, tunc conversim erit sicut peripheria *CKD* ad peripheriam *AIB*, sic iam linea *EF* ad lineam *AB*. Sit itaque sicut linea *EF* ad lineam *AB*, sic linea *CD* ad lineam *GH*, per quintam huius. Eritque sicut linea *CD* ad lineam *GH*, sic peripheria *CKD* ad peripheriam *AIB*, et erit per 14^{am} quinti, quoniam *CD* maior quam *EF*, iam et *GH* maior quam *AB*. Unde sequitur idem impossibile quod prius, ut scilicet peripheriae primae ad peripheriam secundam ratio sit sicut prima diameter ad lineam maiorem secunda diametro. Non est igitur linea *EF* minor quam linea *CD*. Sed nec maior fuit. Aequalis erit ergo, quod fuit demonstrandum.

Propositio IX.

SIMILES CIRCULORUM ARCUS SUNT CHORDIS ATQUE ETIAM DIAMETRIS PROPORTIONALES.

Nam similes arcus per diffinitionem assumunt aequales tam ad centrum quam ad peripherias angulos. Ed idcirco per ultimam sexti Euclidis sunt proportionales integris suorum circulorum peripheriis. Sed per praecedentem peripheriae diametris sunt proportionales; igitur et similes arcus sint itidem diametris; quare propter similitudinem triangulorum et chordis proportionales, quod proponitur demonstrandum.

Propositio X.

CIRCULI SUNT QUADRATIS DIAMETRORUM PROPORTIONALES.

Sunto circuli *AIB*, *CKD* [Fig. III.5A.7], quorum diametri *AB*, *CD*; sitque sicut circulus *AIB* ad circulum *CKD*, sic quadratum *AB* ad quadratum lineae *EF*, per septimam huius.

Et demonstrandum erit quod linea *EF* aequalis est lineae *CD*.

Nam secus est maior aut minor. Si linea *EF* maior quam linea *CD*, tunc fiant eadem quae in praemissa 8^{a}. Eritque sicut quadratum *AB* ad quadratum *EF*, sic figura *AMB* ad figuram *ENF*, et ideo sicut circulus *AIB* ad circulum *CKD*; et permutatim sicut figura *AMB* ad circulum *AIB*, sic figura *ENF* ad circulum *CKD*; maior est autem per 3^{um} postulatum circulus *AIB* quam figura *AMB*. Ergo maior circulus *CKD* quam figura *ENF*, quod est impossibile per dictum postulatum. Non est ergo maior linea *EF* quam linea *CD*.

7 Si autem minor, tunc con/versim erit sicut circulus *CKD* ad circulum *AIB*, sic quadratum *EF* ad quadratum *AB*; sit ergo per septimam sicut quadratum *EF* ad quadratum *AB*, sic quadratum *CD* ad quadratum *GH*; eritque sicut quadratum *CD* ad quadratum *GH*, sic circulus *CKD* ad circulum *AIB*; et quoniam *CD* maior quam *EF*, iam per 14^{am} 5^{i} *GH* maior quam *AB*. Unde sequitur idem impossibile, ut scilicet circuli primi ad circulum secundum ratio sit ut quadratum primae diametri ad quadratum lineae maioris secunda diametro. Non est ergo minor linea *EF* quam

linea *CD*; sed nec maior fuit. Aequalis est ergo, quod fuit demonstrandum.

Propositio XI.

SIMILES CIRCULORUM SECTORES ET SIMILES PORTIONES SUNT QUADRATIS DIAMETRORUM PROPORTIONALES.

Similes enim sectores sunt per ultimam sexti Euclidis circulis integris proportionales. Quare per praecedentem sunt et quadratis diametrorum proportionales. Item in huiusmodi sectoribus triangula rectilinea ad centra super chordas portionum sunt et dictis quadratis proportionalia. Quare cum ablata, quae sunt ipsa triangula, sint totis, quae sunt sectores, proportionalia, erunt per decimam nonam quinti Elementorum et relicta, quae sunt portiones, totis proportionalia, quod fuit ostendendum.

Propositio XII.

CYLINDRORUM SIMILIUM SUPERFICIES SUNT QUADRATIS QUAE EX DIAMETRIS BASIUM PROPORTIONALES.

Fiant ea quae in x^{a} praecedenti, et super circulos *AB*, *CD*, *EF*, *GH* [Fig. III.5A.8] intelligantur similes cylindri erecti; et super figuras multiangulas *AB*, *CD*, *EF*, *GH* intelligantur columnae lateratae cylindris inscriptae, et eiusdem altitudinis cum cylindris; et pro circulis, cylindricae superficies quarum circuli sunt bases; pro figuris autem inter circulos descriptis sumantur columnares laterum superficies quorum figurae sunt bases; et pro tertio postulato citetur prima huius. Et idem processus in demonstratione servetur.

Propositio XIII.

CONORUM SIMILIUM SUPERFICIES SUNT QUADRATIS QUAE EX DIAMETRIS BASIUM PROPORTIONALES.

Fiant similiter ea quae in x^{a} praecedenti, et super circulos *AB*, *CD*, *EF*, *GH* [Fig. III.5A.9] intelligantur [similes coni erecti et intelligantur]
8 totidem laterum pyramides conis inscriptae et eiusdem celsitudinis / cum conis. Et pro circulis conicae superficies quarum figurae (/ circuli) sunt bases; pro figuris autem intra circulos descriptis sumantur laterales pyramidum superficies quarum figurae sunt bases, et pro tertio postulato citetur secunda huius. Nam idem penitus est demonstrationis syllogismus.

Propositio XIV.

DATAE CUILIBET SUPERFICIEI ALIQUEM CIRCULUM ESSE AEQUALEM.

Esto data quaelibet superficies *A* [Fig. III.5A.10]; describatur super quamvis lineam *BD* circulus *BED*, qui aut aequalis erit superficiei *A* aut minime aequalis. Si aequalis, constat iam propositum. Sin autem, tunc per VII^{am} huius sicut est circulus *BED* ad superficiem *A*, sic iam sit quadratum *BD* ad quadratum *CF*; eritque per decimam huius sicut quadratum *BD* ad quadratum *CF*, sic omnino circulus *BED* ad circulum *CGF*; quamobrem sicut circulus *BED* ad circulum *CGF*, sic circulus *BED* ad superficiem *A*; et idcirco per nonam quinti aequalis est superficiei *A* circulus *CGF*. Rursum ergo constat propositum.

Propositio XV.

CUIVIS DATAE LINEAE ALICUIUS CIRCULI PERIPHERIAM ESSE AEQUALEM.

Esto quaevis data linea *A* [Fig. III.5A.11]; describatur super quamvis lineam *BD* circulus *BED*, cuius peripheria si aequalis sit lineae *A* constat propositum. Sin vero, tunc per quintam huius sicut est peripheria *BED* ad
9 lineam *A*, sic sit diameter *BD* ad lineam *CF*; eritque per / octavam huius sicut diameter *BD* ad diametrum *CF*, sic peripheria *BED* ad peripheriam *CGF*; eandem igitur rationem cum habeat peripheria *BFD* ad peripheriam *CGF* quam ad lineam *A*, aequalis erit per nonam quinti lineae *A* peripheria *CGF*. Rursum ergo liquet propositum.

Ex quibus manifestum est et datum circulum alicui rectilineo esse aequalem, itemque dati circuli peripheriam alicui rectae lineae esse aequalem.

Similiter haec enim ostenduntur, mutato tantum supposito: ut scilicet pro superficie circulus, et pro data linea circuli peripheria dari supponatur.

[Vocat Maurolicus coni-colurum segmentum coni abscissum a plano parallelo basi coni comprehensumque inter duo praedicta plana.]

Propositio XVI.

CONORUM-COLURORUM SIMILIUM CURVAE SUPERFICIES SUNT QUADRATIS QUAE EX DIAMETRIS CORRELATIVARUM BASIUM PROPORTIONALES.

Nam cum coluri-coni segmenta sint conorum, et similes coni-coluri similium conorum similiter factae portiones erunt. Sed per decimamtertiam huius desectorum conorum, quoniam similes sunt, superficies sunt quadratis quae ex diametris basium proportionales; et integrorum conorum qui similes sunt superficies quadratis quae ex diametris basium proportionales; et ideo superficiebus desectorum conorum proportionales, quandoquidem basium diametri basium diametris proportionales. Igitur per decimamnonam quinti et relictorum conorum-colurorum superficies dictarum diametrorum correlativarum quadratis proportionales erunt, sicut proponitur demonstrandum.

Propositio XVII.

SOLIDORUM SIMILIUM A DIMIDIIS SIMILIUM PLANARUM MULTIANGULARUM FIGURARUM, STANTIBUS DIAMETRIS,

SEMEL CIRCUMDUCTIS DESCRIPTORUM SUPERFICIES SUNT IPSARUM DIAMETRORUM QUADRATIS PROPORTIONALES.

Namque talium solidorum superficies componuntur ex similibus numeroque aequalibus conicis superficiebus, inter quas binae ad extrema diametrorum sunt perfectorum conorum, caeterae conorum-colurorum, ex quibus quandoque binae cylindricae. Verum per duodecimam, decimamtertiam et decimamsextam praemissas tales superficies correlativae correlativis singulae singulis comparatae sunt sicut quadrata quae ex diametris correlativarum basium. Huiusmodi autem quadrata sunt quadratis diametrorum super quas dimidia figurarum circumducuntur proportionalia. Igitur per coniunctam proportionem, quoties opus fuerit assumptam, integrae solidorum superficies erunt et dictarum diametrorum quadratis proportionales, quemadmodum ponitur demonstrandum.

Propositio XVIII.

SPHAERARUM SUPERFICIES SUNT QUADRATIS DIAMETRORUM PROPORTIONALES.

Sint duae sphaerae *AIB* et *CKD* [Fig. III.5A.12], quarum diametri *AB*, *CD*. Sitque per primam (! septimam) huius sicut sphaerica superficies *AIB* ad sphaericam superficiem *CKD*, sic qua/dratum *AB* ad quadratum *EF*.

Et demonstrandum erit quod linea *EF* aequalis est lineae *CD*.

Nam, si possibile est, sit maior linea *EF* quam linea *CD*. Et circa diametrum *EF* sphaera *ELF* intelligatur concentrica sphaerae *CKD*, et intra sphaeram *ELF* solidum *ENF* tornatile ex conicis superficiebus sphaeram *CKD* minime tangentibus, et huic simile solidum *AMB* intra sphaeram *AIB*. Eritque per praecedentem sicut quadratum *AB* ad quadratum *EF*, sic superficies solidi *AMB* ad superficiem solidi *ENF*. Et ideo sicut sphaerica superficies *AIB* ad sphaericam superficiem *CKD*, et permutatim sicut superficies solidi *AMB* ad sphaericam superficiem *AIB*, sic superficies solidi *ENF* ad superficiem sphaericam *CKD*. Sed per quartum postulatum maior est superficies sphaerica *AIB* quam superficies solidi *AMB*. Ergo et superficies sphaerica *CKD* maior quam superficies solidi *ENF*, quod est impossibile per dictum postulatum. Non est ergo maior linea *EF* quam linea *CD*.

Si autem sit minor, tunc conversim erit sicut sphaerica superficies *CKD* ad sphaericam superficiem *AIB*, sic quadratum *EF* ad quadratum *AB*; sit ergo per septimam huius sicut quadratum *EF* ad quadratum *AB*, sic quadratum *CD* ad quadratum *GH*. Eritque sicut quadratum *CD* ad quadratum *GH*, sic iam superficies sphaerica *CKD* ad superficiem sphaericam *AIB*. Et quoniam *CD* maior quam *EF*, iam per decimam quartam quinti erit et *GH* maior quam *AB*. Unde sequitur idem impossibile quod prius, ut scilicet sphaericae superficiei primae ad sphaericam superficiem secundam ratio sit sicut quadratum primae diametri ad quadratum lineae maioris secunda diametro. Non est ergo minor linea

EF quam linea *CD*. Sed nec maior fuit: aequalis ergo erit, quod fuit demonstrandum.

Propositio XIX.

SIMILIUM SPHAERICARUM PORTIONUM SUPERFICIES SUNT QUADRATIS DIAMETRORUM PROPORTIONALES.

Eadem huic quae praecedenti demonstratio inserviet, hoc excepto, quod pro totalibus sphaerarum superficiebus capiantur portionum superficies, et pro integrorum solidorum tornatilium superficiebus capiantur partiales ipsorum superficies quae similibus sphaerarum portionibus inscriptae similes sunt. Unde concludetur propositum, quod scilicet talium portionum superficies erunt quadratis ex sphaerarum diametris, atque etiam ex diametris circulorum super quos portiones consistunt, proportionales, quandoquidem talium circulorum diametri sunt sphaerarum diametris, propter similitudinem, proportionales.

11 /Propositio XX.

CUILIBET DATAE SUPERFICIEI ALICUIUS SPHAERAE SUPERFICIEM ESSE AEQUALEM.

Est quaevis data superficies *A* [Fig. III.5A.13], describatur super quamvis lineam *BD* sphaera *BED*, cuius superficies aut aequalis est superficiei *A* aut non. Si aequalis, constat propositum. Secus autem, tunc per septimam huius sicut est sphaerica superficies *BED* ad superficiem *A*, sic iam esto quadratum *BD* ad quadratum *CF* [per septimam huius]. Eritque per decimam octavam praecedentem sicut quadratum *BD* ad quadratum *CF*, sic utique sphaerica superficies *BED* ad sphaericam superficiem *CGF*. Eandem igitur rationem habebit sphaerica superficies *BED* ad sphaericam superficiem *CGF* et ad superficiem *A*. Quare per nonam quinti Elementorum aequalis erit superficiei *A* sphaerica superficies *CGF*. Rursum ergo constat propositum. [Adverte quod figurae sphaericae compleri debent circa diametros *BD*, *CF*.]

ET SIMILITER CONSTABIT CUIUSLIBET DATAE SPHAERAE SUPERFICIEM ALICUI RECTILINEO ESSE AEQUALEM.

Data scilicet primum sphaera, et mox rectilineo descripto.

Propositio XXI.

DATIS DUABUS QUIBUSCUNQUE SUPERFICIEBUS ALIQUAM SUPERFICIEM ESSE UNI EARUM SIMILEM ET ALTERI AEQUALEM.

Haec propositio est tanto generalior decimaquarta et vigesima huius, quanto superficies generalior quam circularis aut sphaerica. Sit igitur, exempli gratia, superficies quaevis *A* [Fig. III.5A.14], et portio quaepiam circuli *BED* super chordam *BD*.

Ostendam aliquam circuli portionem esse superficiei *A* aequalem et portioni *BED* similem.

Sit enim per septimam huius sicut *BED* portio ad *A* superficiem, sic *BD* chordae quadratum ad quadratum *CF* lineae. Et per 31^{am} tertii Elementorum super *CF* lineam constituatur circuli portio *CGF* similis ipsi *BED* portioni. Et quoniam chordae similium portionum sunt diametris circulorum proportionales, et periede (! perinde) quadrata quadratis proportionalia. Atque per undecimam huius similes portiones circulorum sunt quadratis diametrorum proportionales. Idcirco erit sicut quadratum *BD* ad quadratum *CF* sic portio *BED* ad portionem *CGF*. Itaque cum eandem rationem habeat portio *BED* ad portionem *CGF* quam et ad superficiem *A*, aequalis erit per nonam quinti elementorum superficiei *A* portio *CGF*. Sed et similis fuit portioni *BED*; constat ergo propositum.

Similiter data qualibet superficie et alia quavis superficiali figura, utpote cylindrica, conica, demonstrabimus aliquam superficiem esse figurae propositae similem et date superficiei aequalem, pro undecima tamen duodecimam, XIII^{am}, aut XVI^{am} huius adducentes.

12 /Item data superficie ac tornatili solido, non aliter per decimamseptimam ostendemus esse quodpiam tornatile solidum cuius superficies datae sit aequalis ac tornatilis propositi superficiei similis etc.

Propositio XXII.

CUILIBET DATAE SUPERFICIEI ESSE ALIQUAM SUPERFICIEM CYLINDRICAM AEQUALEM CIRCA DATUM AXEM.

Sit data superficies *A* [Fig. III.5A.15], datus axis *BC* perpendicularis plano in quo iacet linea *DE* indefinita. Iam, quoniam circum axem *BC* constitui possunt infinitae columnae lateratae quarum superficies laterales singulae minores sint superficie *A*, tales autem superficies maiores sunt superficiebus cylindricis circa eundem axem sibi inscriptis per tertiam huius, idcirco et infinitae superficies cylindricae circum axem *BC* fieri possunt singulae minores data superficie *A*. Item, quoniam circum axem *BC* construi possunt infinitae columnae lateratae quarum superficies laterales singulae maiores sint superficie *A*, tales autem superficies minores sunt superficiebus cylindricis quibus inscribuntur, per primam huius, ideo et infinitae superficies cylindricae circum axem *BC* locari queunt singulae maiores data superficie *A*. Erit itaque in linea *DE* aliquis terminus intra quem cylindricae superficies sint minores singulae superficie *A* et extra quem sint maiores. Esto talis terminus punctum *D*, eritque per primam et tertiam ex dictis superficiebus cylindricis quaecunque intra terminum *D* consistit minor superficie cylindrica cuius semidiameter basis *CD*, quaecunque autem extra terminum *D* maior eadem. Cum itaque superficies data *A* et superficies cylindrica cuius basis semidiameter *CD* axisque *BC* collatae ad omnem aliam superficiem intra extraque punctum *D* sint ea simul maiores aut simul minores, iam per ultimum postulatum aequales erunt. Constat ergo propositum.

Propositio XXIII.

CUILIBET DATAE SUPERFICIEI ESSE ALIQUAM SUPERFICIEM CONICAM AEQUALEM CIRCA DATUM AXEM.

Sit data superficies *A* [Fig. III.5A.16], datusque axis *BC* perpendicularis ad planam in quo recta *DE* indefinita. Iam, quoniam circum axem *BC* poni possunt infinitae pyramides lateratae quarum superficies laterales singulae minores sint superficie *A*, tales autem superficies maiores sunt superficiebus conicis circa eundem axem sibi inscriptis, per quartam huius, propterea et infinitae superficies conicae circum axem *BC* possunt erigi singulae minores data superficie *A*. Item, quoniam circa axem *BC* esse possunt infinitae pyramides quarum laterales superficies singulae maiores
13 sint superficie *A*, tales / autem superficies minores sunt superficiebus conicis quibus inscribuntur, per secundam huius, ob id et infinitae superficies conicae circum axem *BC* stabunt singulae maiores data superficie *A*. Erit itaque in linea *DE* aliquis terminus intra quem conicae superficies sint minores singulae superficie *A* et extra quem sint maiores. Esto talis terminus punctum *D*, eritque per secundam et quartam ex dictis conicis superficiebus quaecunque intra punctum *D* minor superficie conica cuius semidiameter basis *CD*, quecunque autem extra punctum *D* maior eadem. Cum itaque superficies data *A* et superficies conica cuius basis semidiameter *CD* axisque *BC* collatae ad omnem aliam superficiem intra extrave punctum *D* sumptam sint simul maiores aut simul minores, iam per ultimum postulatum aequales esse convincuntur. Constat ergo positum.

Propositio XXIV.

DUABUS SPHAERICIS PORTIONIBUS SUPER UNUM PLANUM EXISTENTIBUS, MAIOR EST SUPERFICIES EXTERIORIS.

Ut si portiones sphaericae *ABC*, *DEF* [Fig. III.5A.17], quarum exterior *ABC*, stent super planum in quo recta *ADFC*, maior erit superficies *ABC*. Stent enim ex altera parte eiusdem plani portiones sphaericae *AGC*, *DHF* singulae suis conterminis aequales et similes. Eritque per quartum postulatum totalis superficies *ABCG* maior totali superficie *DEFH*, includens videlicet inclusa. Ergo et dimidium dimidio maius, superficies scilicet *ABC* superficie *DEF*, quod fuit demonstrandum.

Propositio XXV.

CUILIBET DATAE SUPERFICIEI ESSE AEQUALEM ALICUIUS SPHAERICAE PORTIONIS SUPER DATUM CENTRUM ET A DATO PLANO ABSCISSAE SUPERFICIEM.

Si data superficies *A* [Fig. III.5A.18], datum centrum *B*, datum planum in quo iacet recta *CD* ita ut *BC* sit perpendicularis ipsi plano indefinito. Iam, ut in 22ª et 23ª huius patuit, infinitae cylindricae sive conicae superficies habentes axem in rectum ipsi *BC* consistent tum minores, tum

maiores singulae data superficie *A*. Cumque per quartum postulatum cylindrica sive conica superficies maior quidem sit sphaericae portionis
14 sibi / inscriptae superficie, minor vero sphaericae portionis cui inscribitur superficie, propterea et infinitae sphaericarum portionum circa centrum *B* et a plano *CD* abscissarum superficies erunt tum minores, tum maiores superficie *A*. Erit itaque aliquis terminus in linea *CD* intra quem sphaericarum portionum superficies minores erunt superficie *A* et extra quem maiores. Esto talis terminus punctum *D*. Eritque per praecedentem ex dictarum sphaericarum portionum superficiebus quaecunque intra punctum *D* minor superficie sphaericae portionis cuius basis semidiameter *CD*, quaecunque autem extra punctum *D* maior eadem. Quando itaque superficies data *A* et superficies sphaericae portionis cuius basis semidiameter *CD* collatae ad omnem aliam superficiem intra extrave punctum *D* sumptam sint simul maiores aut simul minores, ideo per ultimum postulatum aequales erunt, quod est propositum.

Propositio XXVI.

QUIBUSLIBET DUABUS LINEIS DUAS MEDIAS ESSE PROPORTIONALES.

Sint quaelibet datae lineae rectae *AB*, *BC* [Fig. III.5A.19], compleatur rectangulum *ABCD*, et *BC*, *BA* producantur indefinitae, centrumque rectanguli sit *E*, in quo se vicissim secant diametri *AC*, *BD*; productis autem *BA*, *BC* applicetur per *D* ducta recta *FDG*, hac conditione, ut coniunctae *EF*, *EG* sint aequales.

Aio tunc *CF*, *AG* medias proportionales interiacere ipsis *AB*, *BC*.

Ducantur enim *EH*, *EK* perpendiculares ad *AB*, *BC*; eritque per sextam secundi Euclidis rectangulum *BF*, *FC* cum quadrato *KC* sumptum aequale quadrato *KF*; commune ponatur quadratum *EK*. Eritque rectangulum *BF*, *FC* cum quadrato *KC* et quadrato *KE*, hoc est cum quadrato *EC* sumptum, aequale quadrato *KF* cum quadrato *EK*, hoc est quadrato *EF*. Similiter omnino demonstrabimus quod rectangulum *BG*, *GA* cum quadrato *EA* sumptum aequale est quadrato *EG*; aequalia vero sunt per hypostesim (! hypothesim) quadrata *EF*, *EG*. Igitur rectangulum *BFC* cum quadrato *EC* aequale est rectangulo *BGA* cum quadrato *EA*. Item quadrata *EC* et *EA* sunt aequalia quoniam dimidiis eiusdem *AC* lineae debentur.
15 Supe/rerunt ergo rectangulum *BF*, *FC* et rectangulum *BG*, *GA* inter se aequalia. Quare per 15^{am} sexti Euclidis sicut *BG* ad *BF*, sic *FC* ad *GA*. Et propter similitudinem triangulorum *GBF*, *DCF*, sicut *DC*, hoc est *AB*, ad *CF*, sic *FC* ad *GA*. Item propter similitudinem triangulorum *GAD*, *DCF*, sicut *DC* ad *CF*, sic *GA* ad *AD*, hoc est ad *BC*. Itaque quatuor lineae *AB*, *CF*, *GA*, *BC* sunt continuae proportionales. Et hoc proponebatur demonstrandum.

Et hic quidem est modus Heronis, qui Mechanica scripsit. Subiiciemus nunc aliorum philosophorum circa idem problema ex Eutocio sumptas traditiones.

Propositio XXVII.

IDEM ALITER DEMONSTRARE.

Sunto datae lineae *AB*, *BC* [Fig. III.5A.20], et compleatur rectangulum *ABCD*, cui per nonam 4^{i} Euclidis circulus circumscribatur. Mox inter *BA*, *BC* indefinitum productas deducatur recta *FDHG*, hac conditione, ut ipsae *FD*, *HG* sint inter se aequales; tunc enim *CF*, *AG* erunt inter ipsas *AB*, *BC* datas mediae proportionales. Nam per 35^{am} tertii Euclidis rectangulum *AG*, *GB* aequale est rectangulo *HG*, *GD*, et rectangulum *CF*, *FB* aequale est rectangulo *DF*, *FH*. Sed rectangulum *DF*, *FH* aequale est rectangulo *HG*, *GD*, quandoquidem *DF*, *GH* lineae supponuntur aequales. Igitur rectangulum *CF*, *FB* aequale est rectangulo *AG*, *GB*. Quare per xv^{am} sexti, non aliter quam in praecedenti, ex similitudine ipsa triangulorum demonstrabuntur *AB*, *CF*, *GA*, *BC* continue proportionales.

Et hic est modus Apollonii et Philonis Byzantii, ut testatur Ioannes Philoponus Alexandrinus. Et est idem ferme cum modo Heronis, quamvis demonstrationes aliquantum differant.

Propositio XXVIII.

ALITER IDIPSUM OSTENDERE.

Sunto datae rectae *AB*, *BG* ad angulum rectum positae [Fig. III.5A.21], quae producantur, sintque *BE*, *BD* singulae ipsi *AB* aequales, ad cuius spatium super centro *B* describatur semicirculus *ADE*, coniunctaque *AG* producatur ad peripheriam in punctum *Z*, et circa punctum *E* moveatur canon *ET* (*! EH*) donec portio canonis *TK* inter peripheriam
16 et *AZ* per aequalia secetur ab ipsa *BD* in puncto *L*. / Et per punctum *K* ipsi *BD* parallelus agatur *MN*, sitque sicut *MA* ad *AB*, sic *EM* ad *MX*. Itemque sic *NM* ad *MO*.

Dico itaque quod *BG*, *MX*, *MO*, *AB* lineae sunt continuae proportionales.

Agatur enim ipsi *BD* parallelus *TP*; eruntque *BP*, *BM* aequales, quandoquidem *TL*, *LK* iisdem parallelis interpositae fuerunt inter se aequales. Quare *KM* ad *ME*, sicut *TP* ad *PE*; et ideo sicut *NM* ad *MA*; et ideo sicut *ME* ad *MN*: quandoquidem *MN* media proportionalis est inter ipsas *AM*, *ME*; igitur et *ME* ipsis *KM*, *MN* media proportionalis est. Non dubium ergo quin *KM*, *ME*, *MN*, *MA* sint in proportione continua. Sed sicut *BG* ad *KM*, sic *AB* ad *MA*, propter similitudinem triangulorum. Itemque per hypothesim sicut *MX* ad *ME*, et sic *MO* ad *MN*. Ergo ex permutata proportione sequitur ut ipsae quoque lineae *BG*, *MX*, *MO*, *AB* sint in eadem continua proportione, quod erat demonstrandum.

Est autem haec traditio Pappi in Mechanicis. Et hac eadem uti videntur Diocles et Porus (*!*).

Propositio XXIX.

ID IPSUM ALITER DEMONSTRARE.

Sunto datae rectae lineae *AB*, *BC* ad rectos angulos positae [Fig.

III.5A.22], quae producantur in infinitum, sintque ABD, CBE; et fabricetur rectus angulus FGH, et in uno crure, ut pote FG, moveatur regula KL in canali quopiam qui sit in ipso FG, utque KL regula parallelus sit semper ipsi GH; alterum regulamentum ipsi GH cruri insertum, scilicet HM, ipsique FG parallelum aptetur; ut KL regula ipsarum FG, HM aptata canalibus, ipsique GH parallelus ultro citroque semper ad aequidistantiam ipsius GH moveatur. Huic demum structurae ipse ABC angulus ita erit accomodandus ita, inquam, rectae ABD, CBE regulamentis interponendae, ut A punctum contingat regulam KL, et ipsum C punctum contingat regulam GH, utque ABD eat per angulum G et linea CBE per angulum K. Hoc enim pacto fient nimirum ipsi AED, EDC anguli recti. Quare per 7^{am} sexti elementorum bis assumptam erunt lineae AB, BE, BD, BC continuae proportionales. Itaque datis duabus AB, BC totidem interiacent lineae proportionales, quod erat ostendendum.

Fuit autem haec inventio Platonis, cum, Deliis pestilentia laborantibus, consultus Apollo respondisset, ut lues cessaret, aram esse duplicandam; quae cum cubi formam haberet, cubusque aliter duplicari non posset nisi per duarum mediarum proportionalium interpositionem, proposita fuit huiusmodi quaestio.

Propositio XXX.

ALITER ILLUD IDEM DEMONSTRARE.

Sint datae rectae lineae AB et CD [Fig. III.5A.23], et intra parallelogrammata rectangula inter se aequalia et similia quorum maiora latera
17 aequalia sint AB maiori datarum / disponendaque sunt parallelogrammata in eodem plano ut eorum bases minores super eadem recta BK iaceant et eorum diametri aequidistent inter se; et fixo manente parallelogrammo medio compellatur unum supra, alterum infra eundem, aptata in eodem plano quousque puncta A, E, H extrema diametrorum in una linea AK cadant, quae praeterea cum recta BK extremi parallelogrami (!) lateris portionem CD abscindat aequalem minori datarum. Hoc enim facto ipsae EF, GH mediae proportionales erunt inter ipsas AB, CD; nam propter triangulorum similitudinem, sicut AB ad EF, sic AK ad KE; sicut autem AK ad KE, sic FK ad KG, sed et FK ad KG sicut EF ad HG. Igitur sicut EF ad HG, sic AB ad EF. Rursum, sicut EF ad HG, sic EK ad KH; sicut autem EK ad KH, sic GK ad KC. Sed et GK ad KC, sicut HG ad CD. Igitur EF ad HG, sicut HG ad CD. Constat ergo lineas AB, EF, HG, CD esse in proportione continua, sicut fuit demonstrandum. Et haec est Eratosthenis traditio.

Propositio XXXI.

IDEM ALITER OSTENDERE.

Sunto datae rectae AB, BG (! AG) in rectum positae [Fig. III.5A.24], describatur circa axem AG parabole ADH, quam in puncto D secet recta BD ipsi AG perpendicularis; et per punctum D ipsi AG parallelus agatur EDZ, cui a punctis A, G lineae ipsi BD parallelae occurrant ad puncta

E, *Z* lineae *AE*, *GZ*. Item per punctum *Z* circa non coincidentes *EA*, *AG* describatur hyperbole *ZH*, quae secet parabolam in puncto *H*, a quo ad lineas *AE*, *AG* perpendiculares cadant lineae *HT*, *HK*. Et per sextam huius ipsis *AB*, *AT* media proportionalis intersit *AL*.

Aio itaque quod *AL*, *AT* mediae proportionales interiacent ipsis *AB*, *AG*.

Nam cum hyperbole sit *HZ*, non coincidentes autem *KAG*, iam per 12^{am} secundi Conicorum Elementorum rectangulum *AH* aequale erit rectangulo *AZ*. Quare per 15^{am} sexti Elementorum Euclidis erit sicut *AT* ad *AG*, sic *GZ*, hoc est *BD*, ad *TH*. Sed per 20^{am} primi Conicorum Elementorum ratio *AB* ad *AT* dupla est rationis *BD* ad *TH*, quandoquidem parabole est *ADH*; ergo et ratio *AB* ad *AT* dupla est rationis *AT* ad *AG*. Quare fiet sicut *AB* ad *AL*, vel sicut *AL* ad *AT* (eadem enim ratio per hypothesim) sic *AT* ad *AG*. Igitur *AB*, *AL*, *AT*, *AG* continuae proportionales sunt, quod fuit demonstrandum.

Et haec est inventio Menaechmi aliis modis commendatior, quoniam innititur geometricis et absolubilibus praeceptis quando alii fortuito casu
18 videantur quodammodo intentum adipisci. Sed huic adde, quod si / *AB*, *BD* ponantur aequales, et mox per *A*, *D* puncta parabole *ADH* describatur, et reliqua, ut prius, erit per iam demonstrata sicut *BD*, hoc est *AB*, ad *TH*, sic *AT* ad *AG*. Sed per 20^{am} primi Conicorum ratio *AB* ad *AT* dupla est rationis ipsius *BD*, hoc est *AB*, ad *TH*. Igitur hac via fient *AB*, *TH*, *AT*, *AG* continue proportionales. Nec opus est ipsius *AL* interpositione, quemadmodum Menaechmus docet.

Propositio XXXII.

ADHUC IDIPSUM ALITER DEMONSTRARE.

Sunto datae rectae *AB*, *BG* [Fig. III.5A.25], quarum maior *AB*, describatur super *AB* diametrum circulus *BGA* intra quem per secundam (! primam) quarti Euclidis coaptetur *BG*, quae producta occurrat ipsi *AD* tangenti circulum in puncto *D*. Item *EG* secet ad rectos angulos diametrum *AB* in puncto *Z*, et super *EG* diametrum fiat semicirculus *EHG* rectus ad circulum *BGA*; hinc super semicirculum *BGA* erigatur hemicylindrus rectus; et in rectangulo quod per axem cylindri describatur hemicirculus super *AB* diametrum, qui semicirculus moveatur super planum circuli *BGA* semper rectus ad idem plano, moto scilicet diametro *AB* versus *G*, manente termino *B* immoto, sitque semicirculus iam motus *TKB* super diametro *BT* secante periferiam *BGA* in puncto *L*; quo quidem motu peripheria *TKB* describet in superficie cylindrica lineam quandam curvam; inde moveatur triangulum *BDA* super axem *AB*, quo motu punctum *G* circumferetur in peripheria *EHG*, et linea *BD* sic circulata describet conicam superficiem, et secabit lineam curvam in superficie cylindrica descriptam in puncto quodam, quod sit *K*, in quo peripheria *TKB* latus ipsum *BD* motum secabit. Sit ergo *BDA* triangulum ad talem situm translatum ipsum *BMA* triangulariter, latere scilicet *BM* ipsam *TKB* peripheriam secante in puncto *K* in ipsa cylindrica superficie. Et coniugatur *KL* recta, quae erit communis sectio plani *TKB* et cylindricae superficiei, quoniam scilicet cylindrus rectus est, atque ideo planum ipsum *TKB* basi cylindricae rectum aequidistat axi cylindrico. Quare *KL* eidem axi parallelus erit circulo *BGA*, et ideo rectae *TB* perpendicularis; praeterea communis sectio circuli *TKB* et circuli *EHG* sit recta *HN*, quae per 19^{am} undecimi Euclidis circulo *BAG* et ideo rectae *TB* perpendicularis erit; et coniungantur *TK*, *LH*.

Aio itaque quod *BL*, *BK* ipsis *BG*, *AB* interiacent mediae proportionales, quod sic demonstratur.

Nam per octavam sexti Elementorum Euclidis quadratum *HN* aequale est rectangulo *EN*, *NG*, et ideo adducta 34^{a} tertii rectangulo *BN*, *NL*: quo fit ut angulus *BHL* sit rectus. Cum anguli *BLK*, *BKT* recti sint, erunt ob id triangula *BHL*, *BLK*, *BKT* similia, quandoquidem aequiangula. Unde sequitur ut ipsae *BH*, *BL*, *BK*, *BT* sint continuo processu propor-
19 tionales. Verum *BH* aequalis ipsi *BG*, / quia sunt latera coni recti cuius axis *BZ*, vertex autem *B*. Item *BT* aequalis ipsi *BA*, per hypothesim. Igitur et *BG*, *BL*, *BK*, *BA* continuae proportionales erunt, quod fuit demonstrandum.

Est autem inventio Archytae Tarentini, ut refert Eudemus et Eutotius; ingeniosa quidem et tali viro digna speculatio, cuius praxis etsi difficilis sit, facillime tamen demonstratur.

Propositio XXXIII.

ESSE ALIQUEM CUBUM QUI AD DATUM CUBUM DATAM HABEAT RATIONEM.

Sit data ratio quae magnitudinis *A* ad magnitudinem *B*, datus cubus lineae *C* [Fig. III.5A.26]. Erit iam per quintam huius sicut *A* ad *B*, sic linea *C* ad aliquam lineam quae sic (! sit) *D*. Itaque ipsis *C*, *D*, per quamvis sex (! septem) praecedentium, interiacebunt duae mediae proportionales, quae sint *E*, *F*. Eritque per 36^{am} undecimi Euclidis sicut *C* ad *D*, hoc est sicut *A* ad *B*, sic cubus *C* ad cubum *E*. Igitur cubus datus *C* ad cubum *E* datam habet rationem quae *A* ad *B*, quod est propositum.

Propositio XXXIV

SIMILES CYLINDRI SUNT CUBIS QUI EX BASIUM DIAMETRIS PROPORTIONALES.

Sunto similes cylindri *XAIB* et *ZCKD* [Fig. III.5A.27], quorum basium diametri *AB*, *CD*, sitque sicut cylindricus *XAIB* ad cylindrum *ZCKD*, sic cubus *AB* ad cubum lineae *EF* per praecedentem.

Et demonstrandum erit quod linea *EF* aequalis erit lineae *CD*.

Nam secus erit aut maior aut minor. Si linea *EF* maior est quam linea *CD*, intelligatur circulus *ELF* concentricus circulo *CKD*, et inscribatur circulo *ELF* figura multiangula *ENF* minime tangens circulum *CKD* per 13^{am} duodecimi Euclidis. Et ei similis figura *AMB* inscribatur circulo *AIB*, et super tales figuras erigantur lateratae columnae *QENF* et *XAMB* ipsis iam cylindricis *QELF*, *XAIB* similibus inscriptae; eritque per octavam 12^{i} Euclidis sicut cubus *AB* ad cubum *EF*, sic columna *XAMB* ad columnam *QENF*, quandoquidem similes sunt columnae sicut et cylindri; quare sicut columna *XAMB* ad columnam *QENF*, sic cylindrus *XAIB* ad cylindrum *ZGKD* (! *ZCKD*) et permutatim, sicut columna *XAMB* ad cylindrum *XAIB*, sic columna *QENF* ad / cylindrum *ZCKD*; sed maior est cylindrus *XAIB* quam columna *XAMB* inscripta per quintum postulatum; ergo et cylindrus *ZCKD* est maior quam columna *QENF*, quod est impossibile per dictum postulatum. Non est ergo maior linea *EF* quam linea *CD*.

Si autem minor, tunc conversim erit sicut cylindricus *ZCKD* ad cylindrum *XAIB*, sicut cubus *EF* ad cubum *AB*; sit ergo sicut cubus *EF* ad cubum *AB*, sic cubus *CD* ad cubum *GH*, per praecedentem; eritque sicut cubus *CD* ad cubum *GH*, sic cylindrus *ZCKD* ad cylindrum *XAIB*; et quoniam *CD* maior est quam *EF*, ideo per 8^{am} 12^{i} et 14^{am} quinti erit *GH* maior quam *AB*. Unde sequitur idem impossibile, ut scilicet cylindri primi ad cylindrum secundum ratio sit sicut columna diametri primae basis ad columnam lineae maioris diametro secundae basis. Non est ergo minor linea *EF* quam linea *CD*. Sed nec maior fuit; aequalis ergo. Et hoc fuit demonstrandum.

Propositio XXXV.

SIMILES CONI SUNT CUBIS QUI EX BASIUM DIAMETRIS PROPORTIONALES.

Omnino eadem demonstratio, si pro columnis pyramides lateratas conis includas et iisdem argumentationibus utaris.

Propositio XXXVI.

SIMILES CONI-COLURI SUNT CUBIS QUI EX CORRELATIVARUM BASIUM DIAMETRIS FIUNT PROPORTIONALES.

Nam similes coni-coluri sunt similium conorum similiter factae portiones, sed per praecedentem integri coni sunt cubis qui ex basium diametris proportionales, et abscissi coni sunt cubis qui ex basium sectricium diametris fiunt proportionales; sed hi cubi sunt illis proportionales, quoniam basium harum diametri basium illarum diametris sunt proportionales propter similitudinem portionum. Igitur abscissi coni sunt integris conis proportionales. Quare per 19^{am} quinti et relictae portiones, qui sunt ipsi coni-coluri, sunt tam abscissis quam integris conis, et ideo correlativarum basium cubis proportionales, quod fuit ostendendum.

Propositio XXXVII.

SIMILIA SOLIDA TORNATILIA, HOC EST, A DIMIDIIS SIMILIUM PLANARUM MULTIANGULARUM FIGURARUM SUPER FIXAS

DIAMETROS SEMEL CIRCUMDUCTIS DESCRIPTA, SUNT CUBIS IPSARUM DIAMETRORUM PROPORTIONALIA.

Namque huiusmodi solida compacta sunt ex similibus numeroque aequalibus conis, inter quos bini et bini qui sunt ad extrema diametrorum sunt perfecti, caeteri vero coluri-coni, inter quos tamen sunt quandoque bini cylindri; verum per 34^{am}, 35^{am}, et 36^{am} praecedentes tales coni, correlativos correlativis comparando, sunt cubis qui ex diametris correlativarum basium fiunt diametris proportionales; hi autem cubi sunt cubis diametrorum super quas dimidia figurarum circumducuntur proportionales, quandoquidem diametri diametris proportionales sunt propter similitudinem figurarum. Igitur per 13^{am} quinti elementorum et aggregata
21 omnium conorum, hoc est ipsa / solida tornatilia integra erunt cubis earundem diametrorum proportionalia, quod fuit demonstrandum.

Propositio XXXVIII.

SPHAERAE SUNT CUBIS DIAMETRORUM PROPORTIONALES.

Sint duae sphaerae *AIB* et *CKD* [Fig. III.5A.28], quarum diametri *AB*, *CD*; sitque per 33^{am} huius sicut sphaera *AIB* ad sphaeram *CKD*, sic cubus *AB* ad cubum alicuius lineae *EF*.

Et demonstrandum erit quod linea *EF* aequalis erit lineae *CD*.

Nam secus erit aut maior aut minor. Si linea *EF* maior sit quam linea *CD*, intelligatur sphaera *ELF* concentrica sphaerae *CKD*; et per 13^{am} 12^{i} Euclidis et per figuram planam multiangulam inscribatur sphaerae *ELF* solidum tornatile *ENF* cuius superficies minime tangat sphaeram *CKD*; et ei simile solidum *AMB* inscribatur sphaerae *AIB*; eritque per praecedentem sicut cubus *AB* ad cubum *EF*, sic solidum tornatile *AMB* ad solidum tornatile *ENF*; quare sicut solidum *AMB* ad solidum *ENF*, sic sphaera *AIB* ad sphaeram *CKD*: et permutatim, sicut solidum *AMB* ad sphaeram *AIB*, sic solidum *ENF* ad sphaeram *CKD*. Sed maior sphaera *AIB* solido *AMB* per quintum postulatum; ergo et sphaera *CKD* maior solido *ENF*, quod est impossibile per dictum postulatum. Non ergo est maior linea *EF* diametro *CD*.

Si autem minor, tunc conversim erit sicut sphaera *CKD* ad sphaeram *AIB*, sic cubus *EF* ad cubum *AB*. Sit ergo per 33^{am} huius sicut cubus *EF* ad cubum *AB*, sic cubus *CD* ad cubum *GH*; eritque sicut cubus *CD* ad cubum *GH*, sic sphaera *CKD* ad sphaeram *AIB*. Et quoniam *CD* est maior quam *EF*, ideo per praemissam et 14^{am} quinti *GH* maior erit quam *AB*. Unde sequitur idem impossibile, ut scilicet sphaerae primae ad sphaeram secundam ratio sit sicut solidum inscriptum primae ad solidum lineae maioris secunda diametro. Non est ergo minor linea *EF* diametro *CD*; sed nec maior fuit: aequalis ergo, quod fuit demonstrandum.

Propositio XXXXIX (/ XXXIX).

SIMILES SPHAERALES CUNEI SUNT CUBIS DIAMETRORUM PROPORTIONALES.

Sphaeralem cuneum intelligo corpus sub conica superficie verticem in

centro sphaerae habente et sub assumpta sphaerica superficie comprehensum, quod quidem componitur ex cono et sphaerica portione communem basim habentibus circulum qui sphaeram per inaequalia secat. Demonstratur autem haec non aliter quam praemissa, hoc excepto, quod pro totalibus sphaeris cunei sphaerales similes capiantur, et pro tornatilibus solidis tornatiles cunei capiantur. Componitur autem tornatilis cuneus ex cono supradicto cunei sphaeralis et portione tornatilis solidi cadente intra sphaericam portionem. Nam huiusmodi
22 tornatiles cunei similes sunt, quandoquidem / intra similes sphaerales cuneos cadunt; et ideo per antepraemissam sunt cubis diametrorum sphaeralium proportionales. Atque etiam cubis dictarum basium diametrorum, quippe quae sphaeralibus diametris sint proportionales propter portionum similitudinem.

Propositio XL.

SIMILES SPHAERICAE PORTIONES SUNT CUBIS DIAMETRORUM PROPORTIONALES.

Nam cum sphaerica portio (per definitionem in praemissa assignatam) sit relictum solidum post coni a sphaerali cuneo abscissionem, atque per praecedentem tales cunei, per 35^{am} aut tales coni (quia similes), sint diametrorum basium et etiam sphaerarum cubis proportionales; hoc est, cum tota sint abscissis proportionalia, erunt et relicta totis proportionalia, hoc est, sphaericae portiones dictarum diametrorum cubis proportionales, quod proponitur demonstrandum.

Cum igitur similes sphaericae portiones hemisphaeris minores sint diametrorum cubis proportionales, erunt et relictae sphaericae portiones hemisphaeriis maiores iisdem cubis proportionales.

Propositio XLI.

CUILIBET DATO SOLIDO ALIQUAM SPHAERAM ESSE AEQUALEM.

Esto quodvis datum solidum *A* [Fig. III.5A.29], exponatur quaelibet linea *BD*, super quam diametrum sphaera *BED* intelligatur. Aut igitur sphaera *BED* aequalis erit solido *A* aut minime. Si aequalis, constat propositum. Sin vero, tunc sicut est sphaera *BED* ad solidum *A*, sic sit cubus lineae *BD* ad cubum lineae *CF* per 33^{am} huius; eritque per 35^{am} (! 38^{am}) huius sicut cubus *BD* ad cubum *CF*, sic sphaera *BED* ad sphaeram *CGF*; itaque eandem rationem cum habeat sphaera *BED* ad solidum *A* quam et ad sphaeram *CGF*, aequalis erit iam sphaera *CGF* solido *A*. Rursum ergo constat propositum.

Propositio XLII.

DATIS DUOBUS QUIBUSCUNQUE SOLIDIS ESSE ALIQUOD SOLIDUM UNI EORUM SIMILE ET ALTERI AEQUALE.

Esto, exempli gratia, solidum quodlibet *A* [Fig. III.5A.30], et conus *BED* super basim cuius diameter *BD*.

Demonstrabo iam conum aliquem esse cono *BED* similem et solido dato *A* aequalem.

Sit enim per 33^{am} huius, sicut conus *BED* ad solidum *A*, sic cubus lineae *BD* ad cubum lineae cuiuspiam *CF*, et super circulum *CF* conus *CGF* erigatur similis cono *BED*; eritque per 35^{am} huius conus *BED* ad
23 conum *CGF*, sicut cubus *BD* ad cubum *CF*, et / ideo sicut conus *BED* ad solidum *A*; eandem ergo rationem cum habeat conus *BED* ad solidum *A* quam et ad conum *CGF*, aequalis erit iam conus *CGF* solido *A*. Constat igitur propositum.

Quod si super basim cuius diameter *BD* cylindrus supponatur, similiter et per 30^{am} (! 33^{am}) et 33^{am} (! 34^{am}) huius cylindrum *GCF* similem cylindro *EBD* et aequalem solido *A* esse demonstrabimus. Idem quoque per 33^{am} et 36^{am} pro conis-coluris, per 37^{am} pro tornatilibus solidis, per 39^{am} pro sphaeralibus cuneis, per 40^{am} pro sphaericis portionibus efficiemus. Non aliter de cubis, aut prismatibus, aut pyramidibus, aut parallelepipedis, aut polyhedris regularibus, sive irregularibus solidis propositum constabit, quandoquidem ut in Elementorum 12° ostensum est, similia solida semper sunt cubis correlativorum laterum proportionalia.

Propositio XLIII.

CIRCULUS AEQUALIS EST EI QUOD PRODUCITUR EX SEMIDIAMETRO IN SEMIPERIPHERIAM.

Sit circulus *AGH* [Fig. III.5A.31], cuius semidiameter *AB*, superficies autem *C* sit id quod fit ex semidiametro *AB* in semiperipheriam circuli *AHG*.

Demonstrandum est quod circulus *AHG* aequalis est superficiei *C*.

Nam per 14^{am} huius erit circulus quispiam aequalis superficiei *C*; sit ergo circulus *DIK*, cuius semidiameter *BD*, aequalis superficiei *C*; et ostendendum erit quod *BD* linea aequalis erit ipsi *BA*. Nam secus erit utravis maior; et circulus *DIK* describatur concentricus circulo *AGH*; et per 12^{am} 12^{1} Euclidis intra maiorem horum circulorum describatur figura multiangula circulum minorem minime tangens, fietque per 1^{am} sexti Euclidis ut superficies talis figurae inscriptae sit aequalis ei quod fit ex aliqua linea inter ipsas *AB*, *BD*, quae sit *BE*, in *ELM* semiperimetrum ipsius figurae; quod productum sit *F*; itaque si *AB* sit maior quam *BD*, erit tunc *BE* minor quam *AB* linea; et proinde superficies *C* maior superficie *F*; igitur tunc circulus *DIK* (qui aequalis figurae *C* positus fuit) maior erit figura *F* seu *ELM*, quod est impossibile per tertium postulatum.

Si autem *AB* sit minor quam *BD*, tunc *BE* maior erit quam *AB* linea; quare superficies *F* maior tunc est superficie *C*; et idcirco figura *F* seu *ELM* erit maior spatio *C* seu circulo *DIK* intra quem inscribitur, quod est impossibile per dictum postulatum. Cum ergo linea *BD* neque minor neque maior possit esse quam linea *AB*, erit aequalis, quod erat demonstrandum.

Similiter autem ostendemus quod superficies cylindrica aequalis est ei
24 quod fit / ex latere cylindrico in peripheriam basis. Idque per columnam inscriptam maiori cylindro, ita ut minorem non tangat. Item quod

superficies conica aequalis est ei quod fit ex latere conico in semiperipheriam basis. Idque per pyramidem inscriptam maiori cono, ita ut minorem similem vel sub eodem axe positum non tangat.

Propositio XLIV.

IN DUOBUS CIRCULIS INAEQUALIBUS, ID QUOD FIT EX DIAMETRO MAIORIS IN PERIPHERIAM MINORIS AEQUALE EST EI QUOD FIT EX DIAMETRO MINORIS IN PERIPHERIAM MAIORIS. IDEMQUE DE SEMIDIAMETRIS ET SEMIPERIPHERIIS EST DICENDUM.

Sunto duo circuli inaequales *AGE* et *BHF* [Fig. III.5A.32], quorum diametri *AE* et *BF*, et peripheriae earum aequales sint lineis *C*, *D*, hoc est, ut per 15^{am} huius linea *C* sit aequalis peripheriae circuli *AGE* et linea *D* aequalis peripheriae circuli *BHF*.

Demonstrandum ergo est quod rectangulum *AED* aequale est rectangulo *BFC*.

Nam cum per 8^{am} huius sicut est *AE* ad *BF*, sic sit *C* ad *D*, iam per 8^{am} sexti Elementorum Euclidis constat prima propositi pars. Quod si *AI* et *BL* supponantur semidiametri, iam per eandem 8^{am} lineae *C* et *D* tunc erunt semiperipheriae. Unde constabit quod superat demonstrandum.

Propositio XLV.

IN TRIBUS CIRCULIS QUORUM DIAMETRI SUNT IN PROPORTIONE CONTINUA, ID QUOD FIT EX DIAMETRO PRIMI IN PERIPHERIAM POSTREMI AEQUALE EST EI QUOD FIT EX DIAMETRO MEDII IN PERIPHERIAM SUAM. IDEMQUE DE SEMIDIAMETRIS ET SEMIPERIPHERIIS DICENDUM.

Intersit enim per sextam huius ipsis *AG* et *BL* diametris proportionalis linea *EI* [Fig. III.5A.33], eritque per octavam huius *F* peripheria circuli cuius diameter *EI* media proportionalis inter *C* et *D* peripherias, quandoquidem peripheriae sunt diametris proportionales.

Et demonstrandum erit quod rectangulum *AGD*, sive rectangulum *BLC* (aequalia enim sunt per praecedentem), aequale est rectangulo *EIF*.

Nam cum *AG* ad *EI* sit sicut *F* ad *D*, iam per 15^{am} sexti Euclidis constat prima propositi pars. Et reliqua similiter; nam si *AN*, *EO*, et *BR* lineae supponantur semidiametri, erunt per 8^{am} huius ipsae *C*, *F*, *D* semiperipheriae. Constat ergo propositum.

25 / Propositio XLVI.

IN TRIBUS CIRCULIS QUORUM SEMIDIAMETRI CONTINUAE PROPORTIONALES, QUOD FIT EX SEMIDIAMETRO PRIMI IN SEMIPERIPHERIAM POSTREMI AEQUALE EST CIRCULO MEDIO. IDEMQUE DICENDUM, SI IN PRIMO ET POSTREMO INTEGRAE DIAMETRI ET INTEGRAE PERIPHERIAE LINEAE IPSAE APPELLENTUR.

Namque cum per praecedentem, in eadem descriptione, tam rectangulum *AND* quam rectangulum *BRC* aequale sit rectangulo *EOF*, quod scilicet fit ex *EO* semidiametro in suam peripheriam *F*, quodque per 43^{am} praecedentem aequale est ipsi circulo cuius semidiameter *EO*, iam et ipse circulus cuius semidiameter *EO*, aequalis erit tam rectangulo *AND* quam rectangulo *BRC*; quorum videlicet utrumvis fit ex semidiametro alterius extremorum in semiperipheriam reliqui, sive maius ex diametro tota in peripheriam totam iuxta suppositionem. Constat ergo id quod proponitur demonstrandum.

Expletum Thermis hora noctis prima diei Iovis in extremo carnisprivio, qui fuit mensis Februarii tredecimus VIII. Ind. MDL.

Prolegomena to the Works of Archimedes by Francesco Maurolico

Proem

Archimedes of Syracuse was a most acute geometer, a very outstanding engineer, a most famous observer of the stars. When Marcellus besieged Syracuse, he [Archimedes] long defended his native land with his ingeniously contrived machines. For, as Livy says,[1] by catapulting rocks, by seizing the masts of hostile ships in an iron grapnel, by hurling bolts through slits in the walls made for this, he shook the enemy equally with wonder and terror. This same man, by himself, and with machines grasped in his hand alone, drew along a ship of unusual size built by King Hieron, as Moschion reports at length.[2] He [Archimedes] built a [planetary] sphere in which all the motions of the stars were to be represented; the *Epigramma* of Claudianus speaks of this.[3] By an ingenious and marvelous device, he [Archimedes] proved as faulty a golden crown dedicated by the said king to the gods but corrupted by artifice, as Vitruvius reports.[4] But not all of his discoveries—mechanical as well as geometrical—have been reported in books. Finally after three years, with Syracuse taken, this most illustrious philosopher was killed by an ignorant soldier when Archimedes, intent upon geometrical drawings that had been described in sand and asked [by the soldier] who he was, delayed in giving his name and implored the soldier not to disturb his lines [in the sand]. [And thus killed] he besmirched his drawing with his own blood. So this famous man, whom the Roman general especially had wished unharmed and had ordered protected, gained his death as well as his well-being through his genius and art. Nor was the general's generosity toward the relatives of the slain man lacking, inasmuch as he

Proem

[1] *Ab urbe cond. libri*, XXIV, Cap. 34.

[2] Quoted by Athenaeus, *Deipnosophistae*, V, 206d, 207a–b.

[3] *Carmina minora*, Poem 51.

[4] *De re architectura*, IX, pref. 9–12.

adorned them with his protection, as Livy, Valerius, and other historians have recorded.[5] But our intention is to commemorate the [literary] monuments of this great philosopher by which he has commended his name to immortality and of which there has been scant mention by the historians.

And so the first in order of his works is τοῦ κύκλου μέτρησις, i.e., *The Measurement of the Circle*, in which he demonstrates that a circle is equal to the right triangle one of whose sides about the right angle is equal to the radius of the circle and the other to the circumference. In the second place is to be put the work περὶ σφαίραι καὶ κυλίνδρου, i.e., *On the Sphere and the Cylinder*, [addressed] to Dositheus, in which he demonstrates that the surface of a sphere is quadruple its maximum circle and that a cylinder of the same width and axis as the sphere is 3/2 the sphere; and he demonstrates [there] other things concerning segments of a sphere. From this [work] it has been seen that Archimedes gained for himself so much glory (as he was the first of all to have demonstrated this important matter in geometry) that a sphere and a cylinder were ordered engraved on his tomb. Cicero mentions that this tomb was found by him among thickets while he was traveling in Sicily. Third in order we place the work περὶ ἰσορροπικῶν, i.e., *On Things Weighing Equally* (=*On the Equilibrium of Planes*), in which he presents the rule for finding the centers of gravity of rectilinear, plane figures. It is remarkable that he omitted in this book the centers of solids. The fourth will be τετραγονισμὸς (!) παραβολῆς, i.e., *The Quadrature of the Parabola*, where he demonstrates that a parabola is 4/3 the rectilinear triangle of the same base and altitude. In the demonstration he uses both the doctrine of *On the Equilibrium* [*of Planes*] and geometrical argument. He writes this book to Dositheus, making mention of the death of Conon, to whom he had previously been accustomed to write. Both these men were versed in geometry and were friends of Archimedes. In the fifth place follows the work περὶ ἑλίκων γραμμῶν, i.e., *On Spiral Lines*, where he demonstrates that certain straight lines tangent to the spiral are equal to the circumferences of circles; also that the spiral of first revolution is one-third part of its circle; that the second spiral is to its circle as seven is to twelve, and so on. For since the circles are in the proportion of the square numbers, these spirals are in the proportion of regular hexagons. He also sent this book to Dositheus, again making mention of Conon, who seized by death had left them [i.e. the propositions concerning the spiral] unexplained. I put sixth in order the book περὶ κωνοειδέων καὶ σφαιροειδέων, i.e., *On Conoidal and Spheroidal Figures*, which he also sent to the aforementioned Dositheus. In it he demonstrates many things concerning the mutual proportion of circles and ellipses; also that a parabolic solid is 3/2 its cone, and other [propositions] concerning the proportion of both hyperbolic and spheroidal solids to their respective cones. Indeed

[5] See below, Appendix III, notes 1–4.

these are most acute discoveries and are worthy of such genius. The seventh is *The Sandreckoner* addressed to King Gelon. Its title offers more to admire than the book itself does to ponder. There are many things in it concerning the size of the earth and the celestial luminaries for which blame must be imputed to the times [in which they were written] rather than to the philosopher, since in that age such things were not yet adequately perceived. Afterwards there is to be added the work *περὶ ἰσοπεριμέτρων*, i.e., *On Figures of Equal Perimeter*, which is attributed by some to Archimedes and by others, more correctly, to Theon of Alexandria.[6] In this work it has been demonstrated that the circle is the most capacious of isoperimetric plane figures and the sphere of solid [isoperimetric figures]. And finally the ninth—and not at all to be excluded—is the *περὶ κατοπτρῶν καυστικῶν*, i.e., *On Burning Mirrors*, which some attribute to Archimedes and others, more correctly, to Ptolemy.[7] In it he teaches that the concave form described by a parabola is the one to be given to a mirror for it to be most effective in burning, inasmuch as the parallel solar rays falling on it are reflected to the same point. It is in this point where the most light is gathered that the heat is most potent for burning fuel placed there. Eutocius of Ascalon wrote commentaries on the works *On the Measurement of the Circle*, *On the Sphere and the Cylinder* and *On Things Weighing Equally* (=*On the Equilibrium of Planes*), where he has intermingled many things which have more obscurity than either pleasure or utility and nothing relevant for understanding the author [i.e. Archimedes].

When I had seen all of these works, I was forced to add many lemmas for their easier understanding, to demonstrate many things omitted by Archimedes, e.g., in the matter of equal moments, to treat of the centers of gravity of solids, a topic which he omitted. In the work *On the Sphere and the Cylinder* I have used an easier way [than Archimedes']. Lest any one judge that I have postulated in it principles that are not to be conceded when I suppose that to any surface there exists some equal spherical or conical surface or some surface of a spherical segment—or an equal conical or cylindrical surface of a given altitude, we shall demonstrate these principles here [in the *Praeparatio*].[8] In addition [we shall demonstrate] that with two surfaces given, there exists a surface similar to one of the given [surfaces] and equal to the other; and that with two solids given there exists a solid similar to one of the given [solids] and equal to the other. Since it is necessary for the demonstration of this last proposition to find two mean proportionals, we shall treat this problem out of the tradition of the old philosophers, as the above-

[6] See above in this chapter, Sect. II, notes 3–5.

[7] *Ibid.*, n. 6.

[8] In quoting this whole passage above in Section III of this chapter, I have added the numbers of the propositions of the *Praeparatio* where Maurolico proves these basic assumptions.

mentioned Eutocius wrote in his commentaries [*On the Sphere and the Cylinder*]. But we shall premise [without demonstrations] those principles which we have postulated [below] as being easily conceded.

Postulates[1]

1. There exist two lines proportional to any two magnitudes of the same kind.
2. The perimeter of a plane figure that circumscribes or includes a plane figure is greater than the perimeter of the circumscribed or included figure, so long as the figures are concave in the same direction.
3. A circumscribing or including figure is greater than the circumscribed or included figure.
4. The surface of a solid figure that circumscribes or includes any solid figure is greater than the surface of the inscribed or included figure concave in the same direction.
5. A circumscribing or including solid figure is greater than the circumscribed or included figure.
6. If two magnitudes are always at the same time greater or at the same time less than another magnitude, they are equal to one another.

Proposition I.

A CYLINDRICAL SURFACE IS GREATER THAN A COLUMNAR SURFACE IT HAS CIRCUMSCRIBED[1] OR INCLUDED.

For let there be taken one of the sides [i.e. faces] of the [prismatic] column that has been circumscribed, the side having been erected on straight line *AC* [see Fig. III.5A.1] and [let there be taken] that part of the cylindrical surface erected on arc *ABC*.

And so it is to be demonstrated that cylindrical surface *ABC* is greater than plane surface *AC*, for with this shown it follows that the whole cylindrical surface is greater than the whole columnar surface.

And so, if it is possible, let cylindrical surface *ABC* be less than plane surface *AC*, so that with surface *Z* [added to it] it is equal to surface *AC*. And if arc *ABC* is continually bisected until the portions [of the cylindrical surface] remaining are less than *Z*, then at that point the cylindrical surface *ABC* plus the remaining portions will be less than plane surface *AC*, and *a fortiori* less than the plane surfaces erected on straight lines *AD*, *DB*, *BE* and *EC*, which is against the fourth postulate. Therefore cylindrical surface *ABC* is not less than plane surface *AC*. It will be demonstrated in the same way that it is not equal to it. Therefore, it remains that it is greater than it, as proposed.

Post.
[1] See Commentary to Text A, Postulates.

Prop. I
[1] See Com., Prop. I, lines 2–3.

Proposition II.

A CONICAL SURFACE IS GREATER THAN AN INSCRIBED OR INCLUDED PYRAMIDAL SURFACE.

The same procedure and construction will serve for this proposition as for the preceding one. Whence, if the cylindrical or conical surface exceeds an inscribed columnar surface, even more does it exceed an included surface which it does not touch, inasmuch as the inscribed surface is greater than the [non-touching] included surface. Therefore, the proposition is evident.

Proposition III.

A COLUMNAR SURFACE IS GREATER THAN AN INSCRIBED OR INCLUDED CYLINDRICAL SURFACE.

Let the sides of a [prismatic] column be erected on lines *AF* and *FC* [see Fig. III.5A.2], and let a portion of the cylindrical surface be erected on arc *ABC* and both surfaces are terminated by the lines of the cylinder erected on points *A* and *C*. These lines are the contacts between the plane surfaces erected on *AF* and *FC* and the cylindrical surface erected on arc *ABC*.

And so it is to be demonstrated that plane surface *AFC* is greater than cylindrical surface *ABC*, for with this shown it follows that the columnar plane surface is greater than the whole cylindrical surface.

And so, if it is possible, let plane surface *AFC* be less than cylindrical surface *ABC*. And if arc *ABC* is continually bisected and tangents to the circle are continually drawn until the portions between the tangents and the circumference are less than space *Z* by which cylindrical surface *ABC* is posited as exceeding plane [surface] *AFC*, then *a fortiori* the same cylindrical surface *ABC* will be greater than the plane surface erected on *AK*, *KL*, *LM*, *MN*, *NC* plus the remaining portions; this is against the fourth postulate. Therefore, plane surface *AFC* is not less than cylindrical surface *ABC*. It will be demonstrated in the same way that it is not equal [to it]. Therefore, it will be greater, which has been proposed.

Proposition IV.

A PYRAMIDAL SURFACE IS GREATER THAN AN INSCRIBED OR INCLUDED CONICAL SURFACE.

This will be demonstrated by a procedure no different than [that used for] the preceding proposition. Whence, if a columnar surface exceeds both the inscribed cylindrical and pyramidal surfaces, even more will it exceed an included surface [which it does not touch], inasmuch as the inscribed surface exceeds the surface included in it.

Moreover, it ought to be noted that in a cylindrical surface the above-mentioned remaining portions [or segments] in the preceding as well as in the first [proposition] of this [work] are to be taken on each base where the circumscribing surface has the same termini as the inscribed surface, as the fourth postulate supposes. Therefore the proposition is evident.

Proposition V.

THERE EXISTS SOME LINE TO WHICH A GIVEN LINE HAS A GIVEN RATIO.[1]

Let the given ratio be that of magnitude A to magnitude B [see Fig. III.5A.3], and let the given line be C; and so by the first postulate there will exist lines proportional to magnitudes A and B, which lines we let be D and E, so that $A/B = D/E$. By VI.10 of Euclid[2] let $D/E = C/F$. Hence, $C/F = A/B$. Q.E.D.

Proposition VI.

THERE EXISTS SOME MEAN PROPORTIONAL BETWEEN ANY TWO LINES.

So that if we let the given straight lines AB and BC [see Fig. III.5A.4] be joined as a straight line and if we describe on the whole AC a semicircle and erect perpendicular BD up to the circumference, then by VI.9 of Euclid[1] BD will be the mean proportional between these [lines] AB and BC. Therefore the proposition is evident.

Proposition VII.

THERE EXISTS SOME SQUARE TO WHICH A GIVEN SQUARE MAY HAVE A GIVEN RATIO.

Let the given ratio be that of magnitude A to magnitude B [see Fig. III.5A.5], and let the given square be that of line C. Now by the fifth proposition C will to some line, say D, as A is to B. So, by the preceding [proposition] there will be a mean proportional E between lines C and D. And so $C/D = A/B = C^2/E^2$, inasmuch as $C/D = (C/E)^2$. Therefore the proposition is evident.

Proposition VIII.

THE CIRCUMFERENCES OF CIRCLES ARE PROPORTIONAL TO THEIR DIAMETERS.[1]

Let the circles be AIB and CKD with diameters [respectively] AB and CD [see Fig. III.5A.6]. And let circum. AIB/circum. CKD = diam. AB/line EF, by [Proposition] V of this [work].

Prop. V

[1] See Com., Prop. V, lines 2–3.

[2] *Ibid.*, line 7.

Prop. VI

[1] See Com., Prop. VI, line 6.

Prop. VIII

[1] See Com., Prop. VIII, lines 2–3.

Now it is to be demonstrated that line *EF* will be equal to line *CD*.

For if line *EF* > line *CD*, let there be imagined circle *ELF* concentric with circle *CKD*, and let there be inscribed in circle *ELF* a regular polygon *ENF* that does not at all touch circle *CKD*, by XII.13 of Euclid's *Elements*.[2] And let a similar figure *AMB* be inscribed in circle *AIB*. And line *AB*/line *EF* = perim. fig. *AMB*/perim. fig. *ENF* = circum. *AIB*/circum. *CKD*. Therefore, alternately, perim. *AMB*/circum. *AIB* = perim. *ENF*/circum. *CKD*. But by the second postulate circum. *AIB* > perim. *AMB*. Therefore circum. *CKD* > perim. *ENF*, i.e., the included is greater than the including, which is contrary to the said postulate. Therefore line *EF* $\ngtr$ line *CD*.

But if it is less, then, inversely, circum. *CKD*/circum. *AIB* = line *EF*/line *AB*. And so let line *EF*/line *AB* = line *CD*/line *GH*, by [Proposition] V of this [work]. And line *CD*/line *GH* = circum. *CKD*/circum. *AIB*. And, by V.14 [of Euclid], since *CD* > *EF*, so also *GH* > *AB*. Whence the same impossibility follows as before, namely that the ratio of the first circumference to the second circumference is as the first diameter to a line greater than the second diameter. Therefore line *EF* $\nless$ line *CD*. But neither was it greater. Therefore it will be equal. Q.E.D.

Proposition IX.

SIMILAR ARCS OF CIRCLES ARE PROPORTIONAL TO THEIR CHORDS AND ALSO TO THEIR DIAMETERS.

For by definition similar arcs assume equal angles both at the center and in the arcs. And hence by the last [proposition] of [Book] VI of Euclid they are proportional to the whole circumferences of the circles. But by the preceding [proposition] the circumferences are proportional to the diameters; therefore similar arcs are also in the same way proportional to their diameters. Hence by the similarity of triangles, they are proportional to their chords. Q.E.D.

Proposition X.

CIRCLES ARE PROPORTIONAL TO THE SQUARES OF THEIR DIAMETERS.[1]

Let the circles be *AIB* and *CKD* with diameters *AB* and *CD* [see Fig. III.5A.7]; and let circle *AIB*/circle *CKD* = AB^2/EF^2, by [Proposition] VII of this [work].

Now it will have to be demonstrated that line *EF* is equal to line *CD*.

For otherwise it is either greater or less. If line *EF* > line *CD*, then let the same construction be made as in Proposition VIII. And AB^2/EF^2 = fig. *AMB*/fig. *ENF* = circle *AIB*/circle *CKD*. And therefore, alter-

[2] *Ibid.*, line 10.

Prop. X

[1] See Com., Prop. X, lines 1–25.

nately, fig. AMB/circle AIB = fig. ENF/circle CKD. But by the third postulate circle AIB > fig. AMB. Therefore, circle CKD > fig. ENF, which is impossible by the said postulate. Therefore line $EF \not> $ line CD.

But if it is less, then, inversely, circle CKD/circle AIB = EF^2/AB^2. Therefore, by [Proposition] VII let $EF^2/AB^2 = CD^2/GH^2$, and CD^2/GH^2 = circle CKD/circle AIB. And since $CD > EF$, so by V.14 [of Euclid] $GH > AB$. Whence follows the same impossibility,[2] namely that the ratio of the first circle to the second circle is as the square of the first diameter to the square of a line greater than the second diameter. Therefore line $EF \not< $ line CD. But neither was it more; therefore it is equal. Q.E.D.

Proposition XI.

SIMILAR SECTORS AS WELL AS SIMILAR SEGMENTS OF CIRCLES ARE PROPORTIONAL TO THE SQUARES OF THEIR DIAMETERS.

By the last [proposition] of [Book] VI of Euclid, similar sectors are proportional to their whole circles. Wherefore by the preceding [proposition] they are also proportional to the squares of their diameters. Also, the triangles in sectors of this sort that are on the chords of the segments and with vertices at the center are also proportional to the said squares. Hence, since the magnitudes which are subtracted, namely the triangles, are proportional to the wholes, namely the sectors, therefore by V.19 of the *Elements* the remainders, namely the segments, will also be proportional to the wholes [and hence to the squares of the diameters]. Q.E.D.

Proposition XII.

THE SURFACES OF SIMILAR CYLINDERS ARE PROPORTIONAL TO THE SQUARES OF THE DIAMETERS OF THEIR BASES.[1]

Let the construction be as in [Proposition] X above, and let similar cylinders be imagined as erected on circles AB, CD, EF and GH [see Fig. III.5A.8] and columns be imagined as erected on regular polygons AB, CD, EF and GH and of the same altitudes as the cylinders. And in place of the circles [used in the demonstration of Proposition X], let the cylindrical surfaces whose bases are the circles be assumed [here]; in place of the polygons inscribed in the circles [in Proposition X], let the lateral surfaces of the columns whose bases are the polygons be assumed [here]; and in place of the third postulate [used in Proposition X], let [Proposition] I of this [work] be cited [here]. And [with these substitutions made] let the same procedure be retained in this demonstration [as in Proposition X].

[2] *Ibid.*, lines 21–23.

Prop. XII

[1] See Com., Prop. XII, lines 2–11.

Proposition XIII.

THE SURFACES OF SIMILAR CONES ARE PROPORTIONAL TO THE SQUARES OF THE DIAMETERS OF THEIR BASES.[1]

Let the construction be as in [Proposition] X above. And let similar cones be imagined as erected on circles *AB*, *CD*, *EF* and *GH* [see Fig. III.5A.9] and also as many pyramids inscribed in the cones and of the same altitudes as the cones. And in place of the circles [in Proposition X], let the conical surfaces whose bases are the circles be assumed [here]; in place of the polygons inscribed in the circles [in Proposition X], let the lateral surfaces of the pyramids whose bases are the polygons be assumed [here]; and for the third postulate [used in Proposition X], let [Proposition] II of this [work] be cited [here]. For the argument of this demonstration is completely the same [as in Proposition X].

Proposition XIV.

THERE EXISTS SOME CIRCLE EQUAL TO ANY GIVEN SURFACE.[1]

Let *A* be any given surface [see Fig. III.5A.10]; and let circle *BED* be described on whatever line *BD*, which circle will either be equal to surface *A* or not equal to it. If it is equal to it, then the proposition is immediately evident. But if not, then by [Proposition] VII of this [work] circle *BED*/surface $A = BD^2/CF^2$. And by [Proposition] X of this [work] BD^2/CF^2 = circle *BED*/circle *CGF*; and since circle *BED*/circle *CGF* = circle *BED*/surface *A*, therefore by V.9 [of Euclid] circle *CGF* = surface *A*. Therefore the proposition is again evident.

Proposition XV.

THERE EXISTS A CIRCUMFERENCE OF SOME CIRCLE EQUAL TO ANY GIVEN LINE.

